

Ex Libris
D. Guil. Gesenül.

A. 262.



AD

23. t.

PRAELECTIONES
DE
LITTERATURA HEBRAEORVM

HABENDAS

COMMILITONES ORNATISSIMOS

INVITAT

TH. CHR. TYCHSEN

A. A. LL. M. et Theol. Prof. publ. extr.

GOTTINGAE,

ex officina FRIDER. ANDR. ROSENVSCH.

CLD MDCC LXXXVI.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO
PRESS

COMMITTEE OF CHAIRMAN

THE CHAIRMAN

CHICAGO



Hebraeos, populum opibus olim florentem et literis, pro istorum temporum ratione, insigniter excultum, quod testantur tot praeclara monumenta, inter celeberrimas gentes, quae antiquum mundi aevum illustrarunt, censendos esse, vix dubitari potest, etiamsi discessione facta a religione, qua conservanda et transmittenda immortaliter merita est de genere humano, solam gentem ejusque cultum consideres. Extant Hebraeorum libri varia cognitione referti, sententiarum gravitate et orationis cultu atque ornatu praestantissimi, ex diversis generibus, per omnes populi aetates et periodos, tantoque numero, ut, si Graecos excipias, nulla alia gens extiterit, cujus tot conservati sint libri, ab omni cultu alieno atque imitatione remoti, et ipsa antiquitate magis etiam venerandi. Atque hi libri, cum se mutuo fere excipiant, et certum quendam cognitionum et literarum ambitum complectantur, ipsi historiam cultus ejus populi cui debentur, ejusque initia, incrementa, interitum exhibent. Quare, sicut literarum apud Graecos et Romanos origines et progressus variaque fata exponuntur et libris et lectionibus academicis, sic litteraturam quoque Hebraeorum describi posse, et cultus historiam, manifestum est; et saepe subit mirari, quod in tanta scribentium multitudine nemo argumentum tam graue atque multis de causis utile pariter ac jucundum, tractare aggressus sit. Nam qui de literis Hebraeorum tradiderunt aut sermonis tantum et linguae rationem habent, aut scriptoribus recensendis defunguntur. Quae autem docet philosophiae historia, partem tantum exiguum scriptorum attingunt. Quantae tamen utilitatis futura sit ejusmodi cognitio, vix opus est multis ostendere. Nam ut in Graecis Ro-

manisve litteris sermonis quidem **qualem**cunque scientiam comparare sibi potest aliquis, legendo uno vel altero scriptore, docti tamen interpretis et philologi nomine nullo modo dignus haberi, nisi omnis literaturae complexum et ambitum animo quasi comprehendat; sic qui theologicis studiis operam destinavit, quorum unicus fons et finis esse debet S. Scriptura, accurate tenere non potest nec V. nec N. T. libros nisi recte perspecta universa literarum hebraicarum indole ac ratione, et populi historia, quippe tum demum apparebit quo referendus sit quisque liber, quo loco habendi, quomodo intelligendi sint singuli. N. T. autem cum Veteri, et antiquiori Judaeorum historia et litteris ita cohaeret, ut qui istud recte teneat, optimus futurus sit hujus interpres. Accedit, quod neque commentarii doctiores, neque saepe lectiones academicae, recte possunt intelligi sine aliqua notitia historica librorum cum sacrorum, tum Apocryphorum et Rabbinicorum, qui non raro solent laudari. Neque opinari velim aliquem vestrum, Commilitones, superfedere posse theologiae studiosum his omnibus, quae ad subtiliorem doctrinam spectant. Nam si omnino decet Theologum accurata doctrina, non modo quo ipse literas suas penitus inspiciat, sed etiam ut apud alios et sui, et disciplinae suae reverentiam faciat, multo magis hoc statuendum est nostra aetate. Notum est esse quosdam, qui clamitent, nihil opus esse religionis doctori omni isto eruditionis apparatu, historiae veteris, critices, et inprimis linguarum orientalium cognitione, et dolemus tantum effectum esse his clamoribus, ut in desuetudinem fere veniat librorum hebraicorum studium. Unde fit ut non pauci, sola N. Testamenti qualicumque interpretatione contenti, Vetus negligant, et cum ipsi rationes interpretandi, utpote ex litteris hebraicis petendas, inquirere non possint, unica magistri auctoritate pendere cogantur, ita ut sensim delabamur ad priscorum temporum barbariem, quibus pro ratione erat magistri effatum, res incredibilis et indigna nostri seculi luce. Sed hoc ipsum in causa est quod nostra aetate in contentum quasi abierit sacrarum literarum studium, et vix sit juvenis erectioris ingenii, qui non Theologiam aversetur propemodum et abhorreat. Sane cum alias accusari soletur studii theologici difficultas, jam fere ipsa levitate illud despicitur. Quid enim difficultatis habet nostrum studium, si duabus linguis antiquis, utcunque cognitis,

tum

tum dogmaticae, polemicae moralis doctrinae, et historiae ecclesiasticae elementis delibaudis circumscribantur ejus fines, si compares cum vasto literarum ambitu, quas tenere debent ii, qui juris aut rei medici scientiae operam dant. Dixerint illi profecto suo jure, nos otiosi, et id studium amplecti, quod non magnopere requirat assiduam diligentiam et promptum ac liberale ingenium.

Verum nolo immorari ingrata rerum facie. Nos non pigebit, quantum in nobis est, promovere litterarum bonarum et liberalioris doctrinae theologicae studium, certo persuasos, primum hoc, nulla alia re magis juvari religionis causam, cum qua conjuncta est utilitas publica; quippe eo felicius florebit religio, quo dignioribus et doctioribus usa fuerit ministris. Deinde, bonum virum et probum non aestimari, nec se ipsum metiri debere vulgi opinione ac plausu, sed recte factorum conscientia, certo judicio nixa, et de communi utilitate bene merendi studio; quae in quo fuerint, eum nunquam desituet animus, quantumvis non apparentibus et praesentibus conatum fructibus et praemiis.

Hoc igitur studio excitatus, Commilitones, offero Vobis lectiones de *litteratura hebraeorum* habendas, sperans fore Vobis hoc tam incitamento ad cognoscendos accuratius Sacros libros, quam voluptati et utilitati. Quippe jucundior esse debet ipsorum librorum lectio, si uno quasi obtutu perspexeris eorum argumentum, indolem et rationem universam, quod ipsum ad reliquos, qui cum hoc vel illo cohaerent, cognoscendos acuit studium. Quantum autem hoc adjuvet rectam interpretationem et accuratam cognitionem, et supra dictum est, et optime norunt ii Vestrum, quibus Ill. HENIVM litteraturae Graecae et Romanae historiam exponentem audire contigit.

Vix autem vereor esse aut nostra aetate, aut in nostra academia, qui putet derogari sacrorum librorum auctoritati, si de eorum auctoribus et indole eodem modo tractemus, quo de aliarum gentium scriptoribus agi solet. Homines erant illi, hominibus scripserunt cum hominibus locuti sunt, et interpretationis, hoc est, perspicendi veri sensus, eadem est ratio, sive Deo dictante scripseris dicas, sive moderante Numinis providentia. Salva manent, quae de argumenti auctoritate docen-

centur. Illiberalis autem illa Veterum quorundam opinio, quae facros scriptores ingenio quasi privat, ut iis quasi instrumentis scripserit Sp. S., et, quidquid hebraice scriptum extat, quasi coelitos delapsum haberi debeat, dici vix potest, quantum nocuerit bonae religionis causae, nostra autem aetate dudum rejecta est a melioribus Theologis.

Quo autem sciatis, Commilitones, quae sit hujus collegii ratio et argumentum, et, quis ex nostris conatibus ad vestram rem fructus redundare possit, ipsi judicetis; en vobis conspectum et indicem rerum tractandarum, qui simul pro filo esse potest quod in ipsis lectionibus secuturi sumus.

Itaque Cap. I. agetur de Lingua Hebraeorum

- 1) de populo Hebr. cujus origines, nomen, fata summatis exponuntur.
- 2) de lingua, unde orta, quas dialectus aut ex se natas, aut ex communi stirpe deductus habuerit, porro mutationes sermonis hebraici, pronuntiatio, character et indoles univrsa.
- 3) de scriptura et litteris Hebraeorum.

CAP. II. de cultura vitae morum ex ingeniorum Hebraeorum, status populi antiquissimus, cum nomadice agerent vitam, carminibus saltem et genealogiis vetustatis memoriam servantes — Tum de republ. constituta, legibus a Mose conditis. Occupata Palaestina varie vexatur populus, ab institutis Mosaicis deflectens. Restituta sub Samuele libertas et culturae initia jacta, quae augeatur Rege constituto. Sub Davide et Salomone aurea populi aetas litteris et artibus exulta. Denique sequior aetas sub regibus fecutis, diviso populo et variis calamitatibus pressa, usque ad urbis et reipublicae excidium.

CAP. III. de scriptoribus Hebraeorum qui bifariam recensentur

- 1) secundum temporum seriem, tam perditum quam superstitis.
- 2) secundum argumenti varietatem, poetae, oratores, historici, philosophici, praemissa de singulis generibus dissertatione,

trione, et observationibus generalioribus de propria ratione et indole litterarum apud hebraeos.

CAP. IV. Absoluta florentis aetatis periodo sequitur nunc status litterarum apud hebraeos post restitutam rempublicam et reditum populi ex Babylonia. Scilicet adscitis aliorum gentium notionibus, inito cum Graecis et Syris commercio, immutato paullatim sermone ex hebraico in chaldaicum, alia gentis indoles, alia litterarum facies extitit. Nunc librorum Veterum corpus condi coepit et omnis fere doctrina ex iis peti, ad eos referri. Alii Judaei in Aegypto libros sacros graeco sermone conversos habent, et graecam philosophiam cum librorum sacrorum studio conjungunt. Agendum igitur de Judaeorum Palaestinsium Babylonicorum, Graecorum studiis, eorumque variis modis — De Versione Alexandrina, Libris Apocryphis, Targumim. Item de Samaritanis. usque ad excidium urbis per Titum.

Hic absolvi posset historia litterarum apud Hebraeos, nam post deletam et dispersam gentem, et propagatam religionem Christianam, omnia fere Judaeorum studia erant in convertendis, commentandis et tuendis sacris libris, et colligendis Veterum doctorum traditionibus. Sed quoniam harum rerum cognitio necessaria est, tum ad Crisn V. T. tum ad interpretationem; agendum etiam de studiis Judaeorum feriorum circa libros Sacros, de Mischna et Gemara, de Masora, de Versionibus cum Chaldaicis tum graecis et Rabbiorum potioribus. Denique de studio Litterarum Hebraicarum inter Christianos, commemoranda Origenis et Hieronymi merita, et, quantum fieri potest, omnino Orientalium studiorum historia ad nostram usque aetatem brevibus enarranda.

Hoc est argumentum nostrarum lectionum, quae tribus per hebdomadam horis habebuntur; aliis duabus *grammaticae hebraicae praecepta* succincte tradentur. Nam grammaticis regulis per integrum semestrem immorari velle, vix aliud esse videtur, quam id agere, ut oneretur memoria et ipsa copia taedium creetur. Nos ita tradere conabimur praecepta linguae, ut non modo tironibus aditus pareretur ad perspicendam linguae hebraicae naturam et indolem, sed etiam prove-

proveciores habeant quibus regant ulteriora studia, et omnino his lectionibus id efficere speramus, ut rerum tractandarum copia et varietate, delectatio simul percipiatur et utilitas.

Destinata est his lectionibus Hora ante meridiem X–XI. Altera hora IX–X. *Psalmorum librum* commentario illustrabimus, tam criseos quam accuratae interpretationis regulas adhibentes, in iis scilicet locis aut carminibus, quae diligentio rem curam imprimis requirunt.

Hora III–IV. *Syriacae linguae elementa* tradam, praemissa introductione de lingua et litteratura Syrorum universa ejusque utilitate.

Publice Hora I–II. *Historiam Simsonis* et reliquas partes ex *Judeorum libro* cursoriis lectionibus exponam cum I Samuelis libro.

Quas lectiones, si Vestra, ornatissimi commilitones, benevolentia annuerit, incipiemus, tempore et loco e tabulis publicis indicendo.

Be 820. ✓

80

ULB Halle

3

003 246 310




1017

M.C.







AD 23. t.
PRAELECTIONES
DE
LITTERATURA HEBRAEORVM

HABENDAS

COMMILITONES ORNATISSIMOS

INVITAT

TH. CHR. TYCHSEN

A. A. LL. M. et Theol. Prof. publ. extr.

GOTTINGAE,
ex officina FRIDER. ANDR. ROSENVSCH.
c1o DCCC LXXXVI.